

» concedimus et volumus illa ad eosdem capientes pleno iure per-
» tinere; et personas ex Venetiis aut aliis civitatibus, terris et locis
» quorum communia et universitates ab eorum obedientia, prout
» eis mandatur per praesentes, se non subtraxerint originem trahen-
» tes, seu in illis domicilium habentes, quas ubique locorum capi-
» contigerit, servos fieri capientium. Concedimus quoque eisdem
» qui sic contra eosdem venetos pro defensione civitatis praedictae
» ferrariensis, immo Romanae ecclesiae, ab ipsorum venetorum
» bello et oppugnatione hujusmodi se opposuerint, et ad defensio-
» nem ejusdem civitatis quomodolibet praestiterint auxilium, con-
» silium vel favorem, plenariam omnium suorum peccatorum in-
» dulgentiam et remissionem. Et si qui reges, duces, principes,
» marchiones, comites, barones, communitates, universitates, col-
» legia, tam in Italia, quam extra Italiam constituta, et quaevis
» aliae etiam particulares personae per se vel alium seu alios,
» publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore
» eisdem venetis excommunicatis, anathematizatis, maledictis, pri-
» vatis et inhabilitatis, ad praedicti vel alterius belli contra roma-
» nam ecclesiam prosecutionem, arma, pecunias, aut commeatum
» ministrare seu auxilium, consilium, vel favorem quovis modo
» praebere praesumpserint, aut cum commode possent, a spolio,
» depraedatione et capture eorumdem venetorum et subditorum
» suorum abstinerent, quicumque fuerint etiam quacumque excelsa
» praedicti dignitate, maledicti et excommunicati existant; et di-
» vino percussi anathemate nec de salute animae sperent, nisi ante
» finem vitae poenitentiam agentes apostolica fuerint auctoritate
» absoluti. Universitates vero sciant sibi divinis penitus interdi-
» ctum; et nisi se correxerint, divinam expectent ultionem: et ni-
» hilominus eorum singulares personae paribus excommunicationis
» sententia et aliis poenis, quibus alii excommunicati praedicti,
» exinde innodentur. Et ut praemissa omnibus innotescant, univer-
» sis et singulis patriarchis, archiepiscopis, patriarchalium, metro-
» politanarum et aliarum cathedralium et collegiatarum ecclesiarum